

Emendationes Valerianae.

Valerium Flaccum quantum Quintilianus (X, 1, 80) eiusque aequales mortuum desiderarunt tantum a nostris corruptum sperni nec mirum per se est in tanta horum studiorum et mutabilitate et commutatione et nostra hac aetate non tam possumus admirari quam lamentari quoniam ad summum epicae poeseos fontem omnium animi conversi rivulos quantumvis amoenos nihil fere curant. quanquam fieri potest ut aliquando etiam huic poetae hominum doctorum favor succurrat. cum enim laboriosissimo quem de metris poetarum latinorum scripsit libro Lucianus MueLLERUS effecerit ut etiam de epicorum poetarum arte tam accurate iudicari possit quam antea paucis licuit, non mirarer si et Valerii et similium poetarum amor studiaque diu neglecta rursum coli inciperent.

Equidem autem in legendo Valerio novis subsidiis non adiutus sum. notum enim est Carrionis codicem deperditum esse. hunc autem prae omnibus libris manu scriptis praestare quorum quidem notitia exstat quivis intelletget ubi paucas editionis Burmannianae paginas perlustraverit. aliorum codicum qui videtur antiquissimus esse Vaticanorum ab Heinsio adhibitorum is quem *antiquum, veterimum, vetustissimum* adpellavit et ipse peioris generis est et vereor ut ex hoc codice, quem Heinsius persaepe laudavit et quem consentaneum est in corruptis locis nunquam non diligenter eum inspexisse, ad Valerium in gravius depravatis locis emendandis quicquam profecturum sit. alii codices simillimi huic vel etiam peiores sunt. itaque plane non adsequor cur Burmannus Harlesiusque suum

uterque codicem excerpserit, cum ne uni quidem loco ex tam depravatis libris medela possit adferri.

Pericula quibus aureum vellus obsidebatur Pelias Iasonem celans cuius nullam mentionem iniecerat draconem istum ita poeta commemorat (I 60—63)

. . tantoque silet possessa dracone
velleri; multifidas regis quem filia linguas
vibrantem ex adytis cantu dapibusque vocabat,
et dabat *hesterno* liventia mella veneno,

ubi quod editiones occupat *hesterno* coniectura ortum est ut ego sentio infelici. codices videntur *externo* praebere. quamvis bene enim cenae reliquiae et id genus alia hesterna dici possunt manifestum est notionem illam hesterni cum rei ipsius natura congruere et in ea iam ut ita dicam praeformatam esse. sed quid veneno cum hesterno die? numquid referebat utrum heri an hodie mella cum veneno virgo miscuerit? scribendum igitur erit *interno*; livebant mella veneno quod in se habebant.

Inter imagines quibus Argo ornata est unam admiratur Iason qua pugna Centaurorum et Lapitharum repraesentabatur. ubi cum alia aliorum facinora enumerentur haec omnia hisce versiculis excipiuntur (147—149)

nigro Nessus equo fugit adclinisque tapetis
in mediis vacuo condit caput Hippasus auro.

itaque hoc adparet Hippasum ubi ceteri pugnae sese dedunt somnum potius quacsivisse, condidisse dici caput. sed ubinam caput condiderit haec perabsurde ita vulgo accipiuntur quasi Hippasus vacuum poculum sibi elegerit in quo post bibendum quietem quaereret. hoc autem nihil esse quam iocum perquam inficetum nostroque poeta plane indignum adcuratius non est quod demonstrem. deinde qui hanc in his verbis significationem inesse voluit Burmannus cum *aurum* dici existimet pro *poculum aureum* nec demonstravit haec nec potuit demonstrare. patet enim tale aliquid ibi modo dici posse ubi ex tota sententia et ex eis quae

antecedunt patet quam de re illud aurum ponatur. et sic in versiculis Vergilianis antea dictum est *patera*, Valerius alio loco Aesona dicere facit *non levioere Pholum manus haec conpescuit auro*, sed Pholum signifero *cratere* antea ipsum minatum. Staius denique antea de epulis locutus erat. itaque ut repetam quid nostro loco dictum videatur, alios qui pugnaverant aut ceciderant aut fugae sese mandaverant, supererat Hippasus qui cum nec mortuus erat nec fugit necessario in antro remansit. ergo primum quidem scribendum est 'condit caput Hippasus *antro*'. deinde ad antrum aptissime prima versiculi verba referentur ita ni mirum scripta *in medio*. et quod restat in *vacuo* latere videtur *fatuum* quod de ebrio homine dici vix mireris. hos igitur versiculos ita si quid video conformandos

adclinisque tapetis

in medio fatuum condit caput Hippasus antro,
mirantis Iasonis descriptio excipit hisce verbis concepta:

haec quanquam miranda viris stupet Aesone natus quae contra rationem dicta esse nullo negotio concedes; si enim viris miranda erant cur excusatur Iason admirans? pro *quanquam* dicendum tum potius erat *quoniam*. sed re vera alia cogitatio subest. nam in eis verbis quae Iason secum dixisse refertur inde a v. 150 Iason plane non miratur sed tristi mente lamentatur quod tam fragili rati se sociosque confidere debeat. itaque leni mutatione sic versiculus rescribendus est

haec quanquam miranda *at via* stupet Aesone natus. similiter posuit *at* Claud. r. Pros. III, 168 'serus *at* ille redit'.

Argo ipsa ne cursus navigationis intermittatur suasura haec dicit (306—308)

tempus adest. age rumpe moras: *dumque* aequore *toto*
currimus incertus *si* nubila duxerit aether.

viam ad hunc locum emendandum praevit Gronovius obs. p. 152 (ed. Frotsch.) pro *toto* scribendum esse intelligens *tuto*. neque tamen emendationem perfecit. prorsus

enim non perspicio quid haec verba sibi velint *incertus si nubila duxerit aether*. haec enim neque intellegi possunt si *toto* retineas neque si cum Gronovio *tuto* reposueris. patet autem Argo ea adferre quae metum expellere poterunt aequorque placidum nullaque ab aethere ducta praedicare nubila. itaque pro *si* scribendum censeo *nec*. deinde scrupulos movet *dumque*. si enim dictum esset *dum* ita solum possit explicari ' rumpe moras dum aequore tuto currimus; ubi tempestas exorta erit tum inmorandum erit et de inhibenda navigatione cogitandum'. sed quid sibi vult illud *que?* hoc si quid video aperto documento est primitus fuisse scriptum *namque* ut haec sententia existat

namque aequore *tuto*

currimus *incertus nec* nubila duxerit aether
ad placandum Iasonis animum aptissima.

Nestorem poeta unum ex Argonautis fuisse his verbis memorat (380—383)

te quoque Thessalicae Nestor rapit in freta puppis
fama, Mycenaeis olim qui candida velis
aequora *nec stantes* mirabere mille magistros.

irascor Burmanno quod varias coniecturas quibus in ora codicis sui hunc locum temptasse Heinsium refert non omnes adscripsit. eam autem quam adfert *carinas* pro *magistros* Heinsio in mentem venisse nec ipse probavit neque nos rectam esse putabimus. sed ipse Burmannus non satisfacit. explicat enim Nestorem mille illos magistros ut rei nauticae peritos non miratum esse. quasi magistros miratus esset et non *mille* hoc est tantum hominum naviumque numerum qui nunquam antea in Graecia conspici potuerat. et quamvis fuisset rei nauticae peritus tamen tantam classem optime mirari poterat. et hanc sententiam verbis poetae subesse vocabulum *mille* docet: talia enim vocabula numeralia per se patet ibi poni ubi in solo numero aliquid mirabile inest. deinde vocabulo *stantes* exprimi censet moram qua Graeci Aulide retinebantur. quod vel ineptius est. nam

perfecto si *nec stantes mirabere* uno tenore dicuntur, miratio illa ad *stantes* pariter vertetur quam ad magistros, ut Nestor *stantes magistros* admirans absurdus esset qui optime scire debebat adversis ventis nec classem navigare posse et magistros morari debere. itaque ego rescribendum puto

et instantes mirabere mille magistros.

magistri igitur instant, hoc est, quae ad naves exornandas necessaria sunt procurant; Nestor autem tantum magistrorum numerum spectaculum sane antea non visum mirabitur.

Admetum Argonautarum unum fuisse hisce verbis Valerius (444 sq.) commemorat

te quoque dant campi tanto pastore Pheraei

felices Admete: tuis nam *pendit* in arvis

Delius ingrato Steropen quod fuderat arcu.

ubi *pendit* quid sit nemo facile dicat. quod enim explicant dictum esse pro *poenas pendit* concedi non potest talis ellipsis: tum enim omnia audiri possunt et ni fallor nullus poeta Latinus unquam hac figura ita abusus est. et mihi quidem in mentem venit scribendum esse *pascit* quod cur absolute non dicatur nulla est caussa quanquam exempla in promptu habeo nulla. quod enim unum inveni corruptelae debetur. nam Spartianus in vita Hadriani c. 11 'Ante omnes tamen enitebatur' inquit 'ne *quid otiosum* vel emeret aliquando vel *pasceret*' ubi quae secuntur mire depravata 'ergo conversis *regio more* militibus Britanniam petiit' ita restituenda videbantur: 'conversis *in sobrium morem* militibus'. tale enim aliquid sententia requirit et frustra in explicanda et excusanda vulgata laboraverunt Casaubonus et Salmasius. verum in eis quibus ad verbum pascendi absolute positum confirmandum me non uti posse significabam, itidem illud *ne quid otiosum* plane non intellegitur. nam et dicendum fuerat *otiosi* et equidem non video quo modo res aliqua bene dicatur *otiosa*. deinde nemo perspi-

ciet qua ratione haec cum *pasceret* cohaereant. scribendum est '*ne quem* otiosum vel emeret aliquando vel pasceret' ut dictum sit de servis.

Tandem navis in altum evehitur retinaculis abscissis et comparatur Iason Acastum dolo abducens cum venatore tigres furato. post quam comparationem quod vulgo legitur (495)

ut pariter propulsa ratis, stant littore matres quanquam ferri posse non nego tamen languidum est et aptam sententiarum sensusque connexionem respuit. nam etsi matres stare possunt dum ratis propellitur quid *pariter* sibi vult? spectat hoc vocabulum potius ad comparationem in eis quae praecedunt expressam atque patet poetam tota hac sententiola ad illam comparationem respexisse. scribendum igitur est

ut pariter propulsa ratis, stant littore matres.

Cretheus Aesona compellat

quin rapis hanc animam et *famulos* citus effugis artus?

750 i meus es; iam te in lucos pia turba silentum

secretisque ciet volitans pater Aeolus antris'. —

horruit interea famulum clamore supremo

maesta domus: regemque fragor per moenia differt

mille ciere manus et iam dare iussa vocatis.

755 flagrantes aras, vestemque *nemusque* sacerdos

praecipitat subitisque pavens circumspicit Aeson.

famulos artus Burmannus voluit eos esse *qui Peliae famulabuntur*; sed patet talem futuri temporis significationem a nullo qui simplici et incorrupto iudicio utitur in vocabulo inveniri posse. verum si *famulos* rectum esset nulla alia explicatio locum habere posset quam Pii qui hoc inesse putat: *servientes corporeis perturbationibus*. sed ne haec quidem cogitatio apta est siquidem nec tota res ex antiquorum ingenio dicta est, animum dominari, artus nihil nisi animi famulos esse nec hoc loco quicquam interest cum

fugiendi ex vita modus describendus sit non artuum condicio. itaque haud scio an rescribendum sit

quin rapis hanc animam et *tumulo* citus effugis artus? quod sane paullo audacius dictum. — deinde offendo in vocabulo (v. 755) *nemusque*; quod quanquam ut Pius voluit pro lignis in sacrificando adhibendis audacius usurpatum, tamen Ovidius aliquot locis satis firmat. verum sententia misere claudicat. quid enim? aris iam flagrantibus anne amplius lignis opus est? putidum esset et quovis non dicam poeta sed homine eleganter loquente plane indignum cocta recoquere in re minuta et pusilla. ego suspicor hoc latere

vestemque *animumque* sacerdos
praecipitat.

Tiphys socios ut animum recolligerent adhortaturus quietum mare fore hisce verbis pollicetur (II 55—58)

quin agite o socii, micat inmutabile caelum
puraque nec gravido surrexit Cynthia cornu,
nullus in ore rubor certusque ad talia Titan
integer in fluctus et *in uno* decedit Euro.

hic Heinsius *in uno Euro* falsum esse optime intellexit. ut enim Burmannus adnotavit plures uno vento flare non solent nisi in summa tempestate ut plane nihil solatii in talibus Tiphysos verbis inesse possit. sed et ipse Heinsius et alii ad veterem editionum lectionem *auro* revertuntur parum considerate. cum enim Carrionis codex, quo si superesset solo Valerius recensendus esset exhibeat *Euro*, patet inde corruptela tantum ortum esse *auro*. sed re vera *Euro* retineri potest, modo adieceris illud quo Eurum Argonautis illum quidem semper optandum navi periculosum non fore significaretur ni mirum *mitis* vocabulo. itaque fortasse scribendum est

et *miti* decedit Euro.

Hypsipyle chlamydem artificiosissime pictam Iasoni do-

num dedit in qua cum alia repraesentata erant tum haec:
(II 414—417)

pars et frondosae *raptus* expresserat Idae
inlustremque fugam pueri: mox aethere lactus
adstabat mensis: quin et Iovis armiger ipse
accipit a Phrygio iam pocula blanda ministro.

ubi cum postea demum de fuga Ganymedis dictum sit,
mirum est antea iam *raptus Idae* commemorari. taceo
plurativum numerum nulla necessitate positum illudque
submolestum quod antea Ganymedes rapiebatur, deinde
ipse *fugit*, quod qui velocissimum raptum explicabat Bur-
mannus nemini persuadebit fugam non fugam esse sed
velocissimum raptum. sed patet antea requiri vel ut pictura
bene describatur Idae ampliorem explicatioremque con-
memorationem, qua de caussa sic puto locus restituendus erit

pars et frondosae *saltus* expresserat Idae.

paullo post laetitiam sive mensarum si scribas *laetis* sive
Ganymedis si scribatur *lactus* quanquam habet quo ex-
plicetur tamen *aethere* semper dubitationes movebit. nam
in caelum transvectus *aethere* non bene laetatur puer;
requiritur potius illius rei commemoratio qua Ganymedes
in caelum translatus sit. itaque cum per aethera veheretur
scribendum est

mox aethere *latus*

adstabat mensis.

Belua littori adnans comparatur cum Borea hisce ver-
bis (515—517)

qualis ubi a gelidi Boreas convallibus Hebrī
tollitur et volucres Rhipaea per ardua nubes
praecipitat piceo *nec* dum tenet omnia caelo.

ubi Carrionis codex habebat *omina* quod errore ex
omnia natum esse dudum qui ediderunt intellexerunt. sed
iam Heinsius offendit in hisce verbis coniecitque *picei nec*
dum tenet omnia caeli cum perspiceret miro modo illud
omnia dictum esse ad caelum respiciens. sed Heinsii con-

iectura non multum lucratur siquidem omnino haec comparatio inepta est: beluam similem esse boreae qui non iam totam vallem (hoc enim fere *omnia* illud significaretur) nigra nube conpleverat; bestia enim quantum procedere poterat tantum processerat. et boreas quomodo omnino caelum piceum reddere possit equidem ignoro. ego si quid video nocte puto caelo hunc adspectum tribui. itaque (nam Burmanni quoque coniectura 'piceo nec dum *premit omnia caeli*' eandem efficit sententiam) scribendum censeo

piceo *nox* dum tenet omnia caeli

quod quin verum sit amplius nullus dubito cum idem Valerium dixisse inveniam I 617 'piceoque *premit nox* omnia caeli'.

Hospitum per errorem a Cybele profectum necatorum piacula inter alia haec inperat Mopsus vates III, 435
 ducit et ad fluvios ac vincula solvere monstrat
 prima pedum glaucasque comis praetexere frondes
 inperat. hinc alte Phoebi surgentis ad orbem
 ferre manus *totisque* simul procumbere campis.
 non intellego quo modo *totis* campis Argonautae procumbere possint. plane ineptum est. scribendum potius censeo *totosque* sententia perspicua: toto corpore procumbendum erat.

Rite omnibus ad expiandum facinus perpetratis *visum* *vertere terrae* Mopsus vetat socios (461)

exiderint *quae* gesta manu, quae debita fati,
 cuius versiculi cum haec esse debeat sententia ne irrita fierent ea quae modo ad necatorum manes placandos facta erant, nec placet duplicatum illud nulla necessitate *quae* nec aptus videtur simplex coniunctivus dubitantem de futuris metum exprimens. fortius dicendum erat scripsitque opinor poeta

exiderint *ne* gesta manu quae debita fati.

Per totam silvam puerum amissum Hercules quaerit
 volat ordine nullo

cuncta petens, nunc ad ripas deiectaque saxis
 595 flumina nunc *notas* nemorum procurrit ad umbras.
 offendit iam Heinsius in vocabulo *notas*. quod enim Burmannus explicavit *notas* has umbras Herculi fuisse quia in eadem silva antea ornum quaesierat putidum est. eius autem emendationis quam Heinsius proposuit *nec notas* dimidiam tantum partem retinuerim scribendum ratus *nec motas*. depingit poeta placidam silvae quietem ut amant poetae naturam innotam cum hominum animis perturbatis comparare.

Exspectant socii Herculem (599)

at sociis innota fides austrisque secundis

certa morae:

fides certa morae est mire dictum nec statim locus intellegi potest. puto in *morae* latere *morast*. quae secuntur quod intellegi possunt Mauricio Hauptio acceptum refertur qui Bentleii egregias emendationes locorum aliquot Valerii edidit in relationibus menstruis de consessibus academiae Berolinensis a. 1860 (vid. p. 563).

De Meleagro haec sunt Valerii verba (645—649)

rursum instimulat ducitque faventes

magnanimus Calydone satus; *potioribus* ille

deteriora fovens semperque inversa tueri

durus . . .

et illud *potioribus ille deteriora fovens* quoquo modo explicas semper ablativus *potioribus* tolerari nequibit. diceretur enim pro *prae* cum ablativo quod quantum equidem scio inauditum est. itaque scribendum censeo

potior quibus ille deteriora fovens

ut structura haec sit: 'Meleager ducit faventes quibus ille potior fiat in' etc.

Idem Meleager paullo post (673 sq.) haec iactat

scilicet in solis profugi stetit Herculis armis

nostra salus? nempe ora aequae mortalia cuncti

675 ecce gerunt: ibunt aequo nempe ordine remi.

scrupulos mihi movet v. 675. nam perquam inficete repe-

titum est illud *nempe*, deinde quod Burmannus putat *ibunt aequo nempe ordine remi* significare in futurum perturbationem nullam fieri remorum nimia vi inpetuque Herculis, hoc profecto nimis insulsus iocus esset et hoc poeta plane indignus. quanquam enim antea Hercules re vera remum fregerat hoc excogitatum erat ideo ut Hercules in silvas trabem sibi quaerere fingi potuerit. sed quaenam caussa erat hoc invento alieno loco tam absurde abuti? at largior in praesenti ferri hoc posse. quaenam tum esset sententiarum conexio? dixerat omnibus mortalia ora esse, hoc est Herculem et ipsum non deum esse sed humanae inbecillitatis aequae participem ac ceteros Argonautas. ane quicquam huic cogitationi cum ea interest nimio Herculem ardore in futurum non esse nociturum? ut uno verbo dicam quod sentio scribendum videtur

nempe ora aequae mortalia cunctis.

deinde eiciendus v. 675. quanquam enim huic versiculo etiam ita succurras ut significare eum censeas: quanquam Hercules postea nobiscum non erit tamen pari eodem modo remi ibunt, patet ita latine dici non posse. suspicor autem qui versiculum interpolabat hanc significationem inesse voluisse de vocabuli quod est *aequus* vero usu parum sollicitum.

In pugna Pollucis et Amyci haec occurrunt verba (III 271 sq.)

Pollux sic providus ictus
servat et Oebalia dubium caput eripit arte.
ut deinde urgentes effudit nubibus iras
ardoremque viri . . .

Carrio suum codicem *Oebalia arte* exhibere dicit cum antea scribebatur *Oebali astu*. sed hoc vocabulum puto paullo post restituendum esse. ni mirum *nubibus iras effundere* quid sit vix unquam vereor ne explicari possit. ego rescripserim

effugit astibus iras.

Hercules Prometheo subveniens ita commemoratur
(V 157)

ille etiam Alciden Titania fata *morantem*
adtulerat tum forte dies.

non intellego *morandi* verbum; nimis enim insolenter diceretur ita ut Burmannus explicabat: 'effecturum ut cessarent mala'. itaque haud scio an scribendum sit:

ille etiam Alciden Titania fata *novantem*
adtulerat tum forte dies.

non enim morabatur Promethei fata, sed complevit; cum vero eo intercedente mutarentur non video quid aptius dicatur quam *novabat*.

Tandem Argonautae ad litus adpelluntur:

185 ac dum prima gravi ductor subit ostia pulsu
populeos flexus tumulumque virentia supra
flumina cognati medio videt aggere Phrixi.

offendit Heinsius in *flumina* vocabulo et reponere volebat *culmina*, quod rectum puto. Burmannus enim nonsatisfacit in excusandis *virentibus fluminibus* provocando ad v. 149 ubi pro *virides* (*lacus*) Heinsius egregie emendavit *Minyae*. vix enim puto ubi non ad herbas graminave respicitur rivos lacusque dici posse virides, virentes, nisi qui in summis nivalibus montibus positi sunt. sed praeterea aliquid mendi in hoc loco latet. censeo enim pro *populeos* scribendum esse *flumineos*; non enim intellegitur cur flexus fluminis dicantur non fluminis flexus sed populorum.

Phrixi umbra noctu Aetae visa cum alia tum haec suadet

praeterea infernae quae nunc sacrata Dianae
240 fert castos Medea choros quemcunque procorum
pacta petat, maneat regnis ne virgo paternis.

Carrionis liber exhibebat *quaecunque* quod qui edidere poetam dudum correxerunt. sed Burmannus recte in his verbis offendit Medeam, virginem nondum *plenaeviventae* (258), procos *petere* dici. accedit quod nocturnum Phrixi

phantasma Medea ut alicui in matrimonium *detur* suadet. cum autem plurimum interesse debuerit ne Medea nunc in regnis paternis maneat ne Iasonem adiutura sit scribendum iudico

quemcunque procorum

nacta, peto maneat regnis ne virgo paternis.

Nocturnos terrores Medea experitur hosce:

335 dum premit alta quies nullaeque in virgine curae
visa pavens castis Hecates excedere lucis:
dumque pii petit ora patris stetit arduus inter
pontus et ingenti circum stupefacta profundo:
fratre tamen conante sequi: mox stare paventes

340 viderat intenta *pueros* nece seque trementum
spargere caede manus et lumina rumpera fletu.

Wagnerus explicavit vers. 340 de morte filiorum Medeae neque aliter intellegi potest, si scribatur ita ut vulgo exhibetur. at cum pateat v. 339 fratrem Absyrtum innuiam per se mirum est nullam fratris a sorore occisi mentionem inici sed tantum de istis facinoribus dici quae tanto temporis spatio post evenere. praeterea *trementum* referendum esset ad *pueros* recens occisos. sed non puto hoc vocabulo corpora hoc modo palpitantia depingi posse. itaque pro *pueros* scribendum videtur *puero*: viderat (Argonautas scil.) paventes propter intentam puero caedem seque paventium (tum usitatissima significatione *tremens* adhibetur) manus caede spargere, h. e. omnino fratrem occidere.

Peliam tyrannum eiusque potentiam ita depingit Iason Aetam conpellans

sceptra tui *toto* Pelias sub nomine Phoebi

485 maxima sorte tenens, totque illa creantia divos
oppida, tot vigili pulcherrima flumina cornu.

totum Phoebi nomen patet nihil plane esse. itaque reponendum est *tutus* quod de Pelia Phoebo confidenti aptissime dicitur. difficilius inventu est quid lateat in vocabulo *cremantia*; sic enim exhibebat Carrionis codex. sed quae

hinc effecta sunt *creantia* aut *inlacrimantia* vel peiora sunt; nam neque urbes deos creant cum eos colunt veneranturque, neque inlacrimare aliquem significare potest *cum lacrimis invocare*. sed Gronovius quanquam *creantia* ex meo quidem iudicio perperam coniecit hoc recte egit quod *illa* mutavit in *ille* (observatt. ed. Frotsch. p. 503). sed quid pro *creantia* scribendum sit certi nihil invenio, hanc igitur sphingem suo Oedipo reservare praestat.

Haec sunt Iasonis verba (VII 286 sq.):

ut tamen hoc saeva corpus de morte receptum
hanc animam sciat esse suam. miserebitur ergo?

dic, ait, an potius — strictumque ruebat in ensem.
devovet igitur ex his periculis si Medae arte servatus fuisset se suaque Medae adiungitque dubitationem de ea quam obiturus sit sorte. aut enim a Medea servatum se iri aut ipsum se necaturum esse. sed postremam sententiae partem non verbis sed actu exprimit in ensem non *ruens* ut dudum intellectum est (— sic vero libri habent) nec gaudens quod absurdum est et ipsum, sed ut equidem opinor *tuens* ut scribendum sit:

strictumque *tuetur* in ensem.

Aeetes quibus ad vincendos Argonautas usus sit artes enumerat

exeat Haemonio messis memoranda colono

550 tuque tuum *parti* Graium da nata draconem.

sic libri exhibere videntur legiturque in Carrionis editione qui de suo codice nihil adnotavit. sed nec hoc stare potest nec intellegitur quod alii scripsere *partim*. mutandum potius est *parti* in *morti*. in *mortem* enim Graecorum dandus, proferendus erat Medae draco ille velleris aurei custos.

Ignis cum non bene fluat horum versicolorum extremum emendare studebimus:

570 sic tunc claustris evasit uterque
taurus et inmani proflavit turbine flammam
arduus atque atro volvens incendia *fluctu*.

puto enim cum tauri ex ore ignem incendiave evomant scribendum esse pro *fluctu* potius *rictu* quod disertius probare nihil opus erit.

Absyrtus Argonautas fugientes insequens orationem aliquam habet minime pulchram: frigidissima enim sunt quae misellus ille lamentatur et repraesentant aptissime imaginem hominis qui in schola a rhetore iussus ex cathedra oratiunculam pronuntiat nocturnas lucernas olentem. itaque in hac oratione haec leguntur (VIII 267 sq.):

puppe — nefas — una praedo Phrixea reportat
vellera, qua libuit remeat cum virgine: nobis

— o pudor — et muros et *stantia* tecta reliquit.

haec ita explicavit Burmannus ut dicta sint ironice, quod non intellego. una enim, si inesset, haec in loco inesse posset ironia: virginem et vellus rapuit, muros et tecta tamen non rapuit sed reliquit. quod utrum facete dictum esset nec ne nunc non quaero. sed primum patet non intellegi cur tum adiectum esset *stantia*, deinde vero quae antecedunt verba *o pudor* apertissime docent in eis quae secuntur ironiam inesse non posse sed aliquam rem cuius vere *pudeat*. itaque pro *stantia* rescripserim *inania*.

Haec sunt quae in praesenti ad emendandum Valerium Flaccum temptare visum est. quibus si Georgius Thilo qui Valerii Flacci novam recensionem parat aliqua ex parte uti poterit operam me non perdidisse lactabor.

Scr. Berolini m. Februario 1862.

Franciscus Eyssenhardt.
